

**Georgius Gottlob Richter ... ad disputationem inauguralem ... Joannis
Henrici Groskurt ... invitat / [Georg Gottlob Richter].**

Contributors

Richter, Georg Gottlob, 1694-1773.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Gottingae : A. Vandenhoeck, [1738]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/shgufkuw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

36.
DECANVS
ORDINIS MEDICI
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
GEORGIVS GOTTLOB
RICHTER

MEDICINAE DOCTOR
ET PROFESSOR PRIMARIVS

A D

DISPVATIONEM INAVGVRALEM
CANDIDATI MEDICINAE DIGNISSIMI
IOANNIS HENRICI GROSKVRT

NORDHEIMENSIS

DIE XIII. SEPT. A. O. R. cl^o l^o CCXXXVIII.

LOCO HORISQVE CONSVETIS HABENDAM

OFFICIOSE ET AMANTER INVITAT.



GOTTINGAE

ADVD. A. WANDENHOECK. ACAD. TYPOGR.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3078010x>

Animum humanum, qui gloria originis suae exsultat, deprimere nil magis fortasse potest, quam id ipsum, quod in oriente homine contingit. Etiam si vel hebetiores agnoscant inexplicabile esse & nunquam admirandum satis diuinæ sapientiae opus, quod in fabrica horum corporum nostrorum, in viribus animarum nostrarum elucet, ita ut secundum verba sacri codicis (*) quasi cum dolore & sollicitudine elaborati dicamur, nataque exinde in primis quorundam opinio videatur, etiam in praesenti labe corruptionum non ita Deum fastidire homines posse, quin secundum varias prouidentiae suae vias purgatos expiatisque ad vnum omnes in aeterna olim beatitudinis sede secum coniungat; non possum tamen, quin nascentem ex his siue superbiam humanam siue securitatem toto me animo detestari, & vel folius naturae toties abortientis imo inter ingentem feminum multitudinem vix vnum alterumque euoluentis obtutu contrarium edoceri, & quantilli simus in oculis diuinis, ad leuem animi attentionem cognoscere fatear. Cum femina comprehendant in se rudimenta, ex quibus noua semper naturae progenies fatiscenti emorientique succedit, eademque femina ex arctissimo, si quid sensus iudicant, complexu suo (**) iterum noua semper incredibili numero depromant, quorum eadem sit ratio, vastissimam statim concipimus feminum, quibus peculiarem suam & elegantissimam formam diuinus digitus impressit, breui temporis progressu vbertatem aequae ac stragem. In vno exempli causa pomi semine quam non destruimus latitantium ibi nouorum feminum & integrarum arborum

A 2

fe-

(*) Iob. X. 8. יִיךָ עֲצוֹנִי a voce עֲצָה.

(**) Laur. Bellini de corde Prop. IV

seriem! Quae consideranti penitus palam fit, inter myriades seminum vix vni eam sortem contingere, vt extricatis partibus vitam suam siue vegetabilem siue animale ordiatur. De semine humano vt hic vnice concludam, nolim me in lites illas satis nostro aevo agitatae immittere, an in ouulis feminarum etiam non impraegnatis totus ratione partium suarum homo perfecte delineatus effectusque lateat? an illa ipsa lineamenta in feminis virilis animalculis, quorum vnum & ceteris felicius ouuli impraegnandi cicatriculam subeat, eadem sint quaerenda? imo num in alterutro totum iam existat, quod sensim euoluitur, fabricae artificium, an noua postea indigeat formantis naturae subsidio? Sufficit ineffabilem naturae & plane immensam seminum, quae certe primordia vitae humanae comprehendunt, apparere prodigentiam, siue multa alia expendam, siue inprimis viros feminasque vana plerumque & sterili imo nunquam sine dispendio foecunda libidine aestuantes. In quam rem sigillatim descendere & imis eam ingerere animis nimis facile & promptum esset. Quorsum, iam inquires, illa seminum, quae sine usu intercidunt, mirabilis copia? Quasi vero tot opera naturae intra suos veluti latebras abscondita minus pateant diuino oculo, aut non sint aequae ac reliqua, quae in conspectu nostro versantur, eximium potentiae & sapientiae diuinae speculum? aut quasi patere illa omnia humano etiam oculo, & instar ceterorum ad similes maturitatis terminos peruenire debeant, ne frustra nobis videantur condita? An numeros Deum curare, & qui tot legionibus nouas addere momentaneo voluntatis suae instinctu potest, suis vero plerasque tenebris sepultas manere mauult, vnius alteriusque hominis abs se conditi iacturam metuere, & vt impediat, quasi suae gloriae causa

sa laborare existimemus? Quid quod eam ob rem in notitiam pereuntium tot seminum, si pereant quidem, admitti videamur, ut quae fors ex mera libertate gratiae diuinae inter res fere infinitas paucissimis contigit, a proximo illo ad vitam gradu transire ad vitam ipsam, nos admoneat, quanti exercitus particula simus, & quam carere Deus omnibus possit nos eo nunquam, venerabundi intelligamus, adeoque partim in contemptum nostri partim ad penitioem diuini beneficii a tam vasto numero nos segregantis intellectum deducamur. Si ea via excidimus, quae Deum nobis seruat propitium, quam longe praegnantior ratio est ac in illis immaturis seminibus, ut ab eo reiiciamur. Si ea inquam, quibus primam, ut ita dicam, gratiae suae manum admouit Deus, suis velut inuoluta corticibus manere & sine culpa sua pereuntium habere speciem voluit, quando certius ab iis, quae repugnant & nihil tot beneficiis emolliuntur, liberaliorem longe, quam adhibuit, retrahet manum? Igitur ne parua illa manus, quae ex primis rudimentis ad vitam vocata est, diuino olim lustrante oculo in longe angustiores rursus numerum contrahatur, merito metuendum est, & utrique cauendi scopuli, ne vel otiosam circa nos diuini amoris curam cum Epicureis iudicemus, vel e contrario ita occupatam, ita scopo seruandi hominis vnice intentam, ut omnibus erroribus medelam, errantibus salutem paratam habeat. Alterum spem nostram erigit, alterum nimis surgentem inter peccata ipsa securam tumidamque reddit. Atque haec, ut ab initio dixi, consideratio suppeditat naturae, quae ea non solum, quae in sinu suo comprehendit, raro partu excludit, verum quoque exclusa sub primum saepe ortum rursus exstinguit, & primo in vitam ingressu nouis

innumerisque periculis exponit. Adeo nihil in re creata est, quod merito suo ad nouam eniti maioremque conditoris sui gratiam possit, vel si per nutum diuinæ clementiæ admittatur, quod non ad omne progressus sui momentum trepidare, rebellem suam detestari naturam, & a praescripto deflectens eo maiores poenas, quo insignioris beneficii spem accepit, vereri oporteat. Occasionem dedit haec praefanti materia de abortu altius ex causis suis deriuata ponderataque

Clarissimi Medicinae Candidati

IOANNIS HENRICI GROSKVRT,

quam is publico examini subiicere, & honoribus medicis, quos ambit, etiam in hac palæstra dignus reperiri cupit. In eius, vt moris Academici est, recensendo vitae curriculo, quod meliorem de studiis eius expectationem confirmet, paucis versabimur. Parentes ille intemeratae famae colit *Michaelem Christophorum Groskurt*, pharmacopolam Nordheimensem, & *Christinam Iulianam Albertinam Mackensen*. His tam honestis parentibus vitam debere noster post Deum coepit Nordheimii anno seculi huius decimo tertio, mensis Martii die vigesimo sexto. Simulac aetas eius maioris culturae capax fuit, priuatae institutionis occasio per curam sollicitorum parentum ipsi non defuit. Et cum mox patria schola ampliores profectus promitteret, haud incelebres in ea docendi facultate viros per annos aliquot audiuit, & iunior quidem Cantores *Sommerum* & *Hahnium*, adultior Conrectores *Lindemannum* & *Hensenium*. Haud fefellit eruditos hos viros ingenium Groskurtii nostri, vt nec hunc docta illorum solidaque institutio, vtrosque iusta industria coniunxit, sine qua nec illi ingenium nec his doctri-

etrina laudi esse potuit. Vti vero vix quidpiam est in
 puerorum animis eximium, quod in parentum exem-
 plis non ante eorum oculos versatur, ita statim noster
 pharmaciae praecipuam studiorum suorum partem deberi
 ratus est. Hanuoueram proinde consensu ac iussu paren-
 tis ingressus, versatissimis in illa arte viris & aulae Regiae
 & Electoralis pharmacopolis *Iaegero* & deinde *Brandio* in
 disciplinam per quinquennium se commisit, idque eo
 successu, vt pater eius vir prudentissimus sic stratam
 pulchre esse ad medicinam viam iudicaret, adeoque stu-
 dio huic dicatum filium lenam mitteret, quae nunquam
 celebriorum medicorum laborauit inopia. Hic noster
 anno seculi huius trigesimo tertio a Prorectore Magnifico
Kemmerichio in cohortem studiosorum receptus philoso-
 phicis primum disciplinis, sine quibus rudiori manu
 reliquae attinguntur, animum praemuniuit, & ea in re ope-
 ras laudat sibi nauatas partim ab honoratissimo Collega no-
 stro, *Ioanne Andrea Segnero*, qui lenae tunc temporis scholas
 philosophicas aperuerat, partim a viro clarissimo *Hertzogio*.
 Ad ipsam cum mox accederet medicinam, excellentissi-
 mos Viros *Wedelium*, *Teichmeyerum*, *Hilscherum* & *Ham-
 bergerum* promptos facilesque inuenit, qui candide, quid-
 quid animum imbuere solida rei medicae cognitione pos-
 set, impertirentur. Venit post annos aliquot ad nouae
 huius & tunc nascentis Academiae incunabula, & occasione
 vltius proficiendi, prout tunc ei oblata fuit, vsus est,
 nec meas etiam, cum leges diaetae publice explicarem,
 neglexit praelectiones. Quoniam vero ea, quae in arte
 medendi hausit, ipsa subigere exercitatione & in aegro-
 tantium vsu conferre cupit, idque haud ignorat a legi-
 bus nulli indulgeri, cuius non probe explorata sint stu-
 dia, ideo nuper in animum induxit, litteris ordinem no-
 strum

strum rogare, vt ad eius consueta candidatorum examina
aditus ipsi pateret. Cum nihil occurreret, quod remora-
ri assensum nostrum posset, factum id est ex fide impositi
nobis muneris, qua testari possumus, viam ipsi, qua ae-
gris consulat, collatis honoribus medicis merito aperien-
dam esse. Crastino igitur die, qui Saturni est, suam de
Abortu dissertationem sub praesidio excellentissimi Viri
Io. Andreae Segneri publice tuebitur, & sequente die Mercu-
rii in solempni panegyri, quae inauguratae Academiae me-
moriae dicata est, Doctoris medici insignia ex manu mea
accipiet. Vtrumque Actum vt perhonorifica sua prae-
sentia ornare velint MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR,
ILLVSTRISSIMI COMITES, GRAVISSIMI ACADEMIAE PROCERES,
HOSPITES omnium ordinum & dignitatum honoratissimi,
Ciuesque inprimis Academiae generosissimi nobilissimi-
que, obseruanter & humanissime rogo. P. P. Gottingae
die xii. Sept. A. O. R. clb lb cc xxxviii.

